

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Gebri Arabis Chimia

Geber

Lugduni Batavorum, 1668

De impedimentis operis ex parte corporis artificis. Cap. IV

[urn:nbn:de:bsz:31-95581](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-95581)

quia ipsa anima sit perversa in organis ipsius proporgana nihil rectitudinis vel ratiōnis in se habens, vel in corruptione, sicut anima in sani vel fatui, vel quia est phantastica, contrarium facile formarum susceptiva indebite, & de uno scibili ad illius oppositum extensiva subito, & de uno velle, ad ejus oppositum similiter.

De impedimentis operis ex parte corporis artificis.

CAP. IV.

IAm tibi generaliter determinavimus hujus operis impedimenta. Nunc vero specialiori te fide oratione alloquemur in hoc capitulo & magis aperte narrabimus tibi omnia illa impedimenta plenissime ac seriatiim. Dicimus igitur, quod si ipse artifex non habuerit sua completa organa & sana, non poterit ad hujus operis complementum per se ipsum devenire, puta si cæcus fuerit, vel in extremis detruncatus membris, quod non juvabitur à membris, quibus necessario ars nostra perficitur, tanquam naturæ ministrantibus. Si vero fuerit artificis corpus debile seu ægrotum, sicut febricitantium vel leproforum, quibus membra cadunt, vel jam ætatis decrepitæ senum, & in extremo vitæ laborantium, ad hujus artis complementum per se nunquam

quam perveniet. His igitur naturalibus corporis impotentius impeditur artifex in intentione sua.

*De impedimentis ex parte animæ
artificis.*

C A P. V.

PRæmissimus capitulum unum, in quo narravius sermone absoluto & manifeste, impedimenta hujus operis ex parte corporis artificis dependentia. Restat nunc videre breviter impedimenta quæ sunt ex parte animæ artificis, quæ maxima sunt impedimenta complementi huius operis. Dicimus igitur, quod si ipse artifex non habuerit ingenium naturale, & animam perscrutantem subtiliter principia naturalia & naturæ fundamenta & artificia, quæ consequi possint naturam in suæ actionis proprietatibus, nunquam inveniet hujus artis preciosissimæ veram radicem. Sunt enim multi qui habent cervicem durum & in omni perscrutionem vacuam ingenio, qui etiam vix sermonem communem intelligere queunt, & opera similiter vulgo communia cum difficultate addiscunt. Ab his etiam multi sunt qui animam habent facillime phantasiam quamlibet opinantem, secundum quod credunt jam se
verum